lu le 7. fevrier 1777 + [illegible] Censeurs [illegible]

Josephi Ceilles

Regis Consiliarii Medici, in Universitate Perpinianensi Medicinæ Professoris Regii, et in Supremo Ruscinonensium Senatu Medici ordinarii

Observationes Medicæ raræ

Iª Observatio

regardée

De Herniâ Ventriculi

+ [illegible]

D. Roig, sivè de la Roche, Perpinianensis, Lud. XVi Galliæ et Navarræ Regis gloriosè regnantis Corporis Custos Vomitu habituali laborans, plurium Medicorum consilia et remedia frustrà expertus, tandèm ad Aulicos confugit, futurum ratus ut ex illis, quasi ex præcipuis et purissimis Medicinæ fontibus, salutares Latices hauriret. tali spe fretus statim Cl. D. Helvetius Reginæ Galliarum Archiatri, dein Cl. D. Chicoyneau Archiatrorum Comitis opem et auxilium imploravit, Remedia à tam gravibus Medicinæ Magistris sapientissimè et doctissimè præscripta fidelitèr assumpsit; sèd Vomitus, licèt efficacissimis Artis auxiliis oppugnaretur; constantèr perseveravit, et doctissimorum Medentium operam ità elusit, ut æger in pejus ruens in dies magis magisquè marcesceret, et tandèm atrophiâ afficeretur. nèc mirum, nàm insanabilis morbus fuit, et ipsius Causa Arte superior, et invincibilis, ut ex infrà recensendis elucescet. quod haud dubiè prævidens Archiatrorum Comes experientissimus ægrum eleganti et doctâ Consultatione munit, et ad proprios Lares invi-

sendos impellit, ut non solùm longâ peregrinatione, sed nativi Aëris inspiratione salutares in Patriâ à præscriptis remediis consequeretur effectus. Obtemperat Æger, et Perpinianum reversus mense Julio anni 1738 Corpore ad quietem necessariam per dies aliquot composito me accersit. accedo ad illum. ex ipsius vultu, et Corporis habitu stupeo, formæ mutationem in præstanti viro demiratus.

Itaquè statim ab ægro inquiro qui factum fuerit ut Corpus ipsius ad tantam Contabescentiam fuerit redactum? accusat Vomitum, et quæ suprà retuli fusè narrat, tandèmquè à me Lacrijmanter quidquid in Arte valeo exposcit; sed vix loquendi finem facit, cùm meæ tenuitatis conscius respondeo morbum haud dubiè insanabilem esse, cùm tanti nominis Medicorum operam eluserit, mequè eò temeritatis non perventurum ut Cl. D. Chicoijneau Magistri mei æternùm colendi placitis aliquid adjicere ausim, et morbi medicationem suscipere quæ Hipp.[i] Monspeliensi restiterit. Verùm enim verò precibus ægri commotus, et Status misertus (ne proprio fato relinquatur, et quædam saltèm consolatio ejus animam ferè desperatione actum erigat) ipsius votis annuo indicationem saltèm palliativam intendens; quarè ægro apprimè interrogato, et perpensis omnibus quæ Vomitûs Causam, et istius sedem mihi manifestare possent, intellexi

1°. Pancreatis et Mesenterii glandulas Scirrhosas evasisse, quod ipsâ digitorum applicatione, et insigni Arteriæ Mesentericæ pulsatione compertum habui: ex Pancreatis autèm mole Pilorum compressione angustari, et hinc Vomitum oriri, non inani sum assequutus conjecturâ.

2°. insignem ægri contabescentiam deberi tùm denegato Chijli in Sanguinem commeatui per vasa Chijlifera in Mesenterio